

Idem multò docuit expressiùs libro 11 Moral. e. 42, ad illud Job c. 10: *Reversusque mirabiliter me crucias.* « Omnipotens, inquit, Deus unde mentem nostram visitans, ad amorem suum erigens, inde hanc per lacrymas graviùs affligit. Ac si apertè dicat: Relinquendo me nequaquam afficis, quia insensibilem reddis, sed cum reverteris, crucias: quia dum te insinuas, mihi quàm sim lugendus, demonstras. »

Accommodatè ad hanc Gregorii cogitationem dixit Seneca, tunc esse ægroto de valetudine gratulandum, cum dolet, cum gemit, et cum se malè habere cognoscit, et se in gravi existimat periculo versari, et indigere aut igne, aut ferro, quibus serpens coerceatur malum, cum de morte pavidus, et salutis amans, medicum advocat, et illa quæ horrebat, appetit, et amarum poculum, quasi aliquid esset palato non ingratum lubens haurit. Nam priùs cum delirâ laboraret phrenesi, aut sensuum stupore, neque iudicabat ægroto, neque erat de vitâ saluteque sollicitus.

Hoc idem videtur Deus commendare Eliæ, cui id à Domino videtur datum negoti, ut corruptos sanet, et quasi recudat Israelitarum mores. Quare jubet, ut Dominum quasi præcursor anteedat in spiritu vehementi, qui dura peccatoris corda commoveat, et scelerum spinosas atque sylvestres plantas ab imis usque radicibus evellat, quod facit ventus, qui ubi violentior est, saxa commovet atque diffringit, et sicut ignis quicquid est vitiorum prorsus exurit. Quod fecit postea Joannes præcursor, qui venisse dicitur in spiritu et virtute Eliæ, Lucæ capite primo; imò et Elias ipse vocatur à Christo Domino Matth. cap. 11, v. 14, et cap. 17, v. 12. Dicitur autem Joannes Elias, quia eo spiritus ardore prædicavit, quo priùs Elias, quando occurrit Achab, et occidit prophetas, aut qualis hoc loco hieroglyphico signo esse jubetur, in quo ventum audimus vehementem, commotionem et ignem; neque verò minus se post hanc admonitionem severum et acrem Elias exhibuit, quàm antea præbuerat, cum ignem evocârît è cælo, quo milites ab Ochoziâ missi combusti sunt, et non minùs impavidè occurrit secundò Achab post occisum Naboth; et Ochoziæ, cujus quadrigenarios interfecerat, ut durum illi et brevem enuntiaret interitum. Hoc idem Joannes fecit, qui spiritum habuit et virtutem Eliæ, quique idè Elias vocatus est. Nam cum ad viros potentes, et doctrinæ et sanctitatis inflatos opinione ageret, ignem se

præbuit et turbinem, cum illa tonat, quæ hominum possent ita animos concutere et inflammare, sicut illa quæ in hoc hieroglyphico signo proposita fuerunt Eliæ. Matth. capite tertio, v. 10: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Et infra, versiculo 12: *Cujus ventilabrum in manu suâ, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Neque minùs fuit in Baptistâ spiritus audax, cum synagogæ principes, à quibus non leviora timere poterat, quàm Elias ab Achab et Ochoziâ, severè exagitavit convicio, cum genimina, seu progeniem appellavit viperarum, et futuram iram denunciavit. Quod Eliæ et Joanni datum est negoti, id quoque viris apostolicis et Evangelii præconibus commissum est. Qui enim verbum accepit Domini, ignem accepit et malleum, quo petras conterat, et vitiorum exurat genimina et stirpes. De quo Jeremias cap. 23, versiculo 14: *Nonne verba mea quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras?* Vide quæ nos in nostris Commentariis ad hunc locum. Qui verò, cum se profiteantur evangelicum obire ministerium, neque tamen adurunt peccatorum germina, neque radices elidunt, et adamantina pectora non frangunt, sanè satis ostendunt tractare se neque satis castè, neque satis fideliter apostolicum munus.

Aliter exponi potest hic locus, qui ad morales sensus plurimos patet, quod etiam quasi in ænigmate videtur docere Dominus. Quasi velit docere prophetam, qualem se præbeat in eos qui et curriculum ingressi sunt spirituale, et cum Deo student familiariter agere. Principio enim antequàm se animi sui amantibus intimè communicet, agere solet minùs familiariter, cum reprehendit, et his exercet atque excolit modis, quos viri spirituales in viam conferunt purgativam. Tunc enim Deus poenitentes animos compungit, ciet lacrymas, facitque ut homo sibi omninò displiceat, iudicium horreat divinum, et pœnas timeat suorum scelerum ultrices. At ubi hæc antecessit severa purgatio, jam non ventus vehemens perflat, aut ignis furit, sed aura tenuis, et sibilus exhilarans purgatum animum, qualis est ille qui in sinu dormit sponsi, et ad cellam vinariam introductus est. Ita penè Gregorius, lib. 5 Moralium cap. 26, ubi cum hæc verba de adveniente Domino retulisset, ait: « Spiritus ante Dominum evertit montes, et petras con-

terit, quia ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit; sed spiritui commotionis et igni non inesse Dominus dicitur, esse verò in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfectè conspiciere prævalet, Deus non est, cum verò subtile aliquid conspiciat, quod de incomprehensibili substantiâ æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subitâ degustamus. »

His verbis Deus consolari videtur mœrentem, et quasi desperantem animum Eliæ, qui videbatur spem abjecisse tranquillitatis et olii, cum ex uno in aliud continenter periculum trahatur, et unius mali finis gradus sit alterius. Quasi dicat, post vehementem turbinem, et ignem devorantem, successuram auram rorantem et tenuem; neque semper cum durâ congregiendum esse fortunâ, neque diù cum potestate futuros illos, quorum horret minas et timet inflammatum odium, atque idè quasi melior jam incipiat aspirare aura, et candidior fulgere dies, jubet ut novos ungat reges tam Israelis quàm Syriæ, qui domos subvertant Jezabelis et Achab, et prophetam novum pro se constituat, quem spiritus sui relinquat hæredem, quasi ille statim auferendus sit ab hominum congressu, et meliorem vivendi conditionem habiturus.

Neque, credo, erraret à veritate longè, qui existimaret respexisse Deum ad futurum Eliæ statum non longè ab hoc tempore; nam raptus est ab igne et turbine, quæ duo potiùs horrorem et vim afferunt, quàm mollem et pacatum incessum: post ignem tamen et turbinem auram nactus est suaviter aspirantem, vitam nimirum longam, eamque aut beatam aut beatè proximam. De quo lib. 4, c. 2, v. 11: *Ecce currus igneus, et equi ignes diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cælum.* Idem Eccles. cap. 48, v. 15. In raptu turbinem audimus atque ignem; in fine tamen raptus, post ignem et turbinem, quietem mollem et auræ sibilum.

Alii hoc loco reprehendi putant Eliæ durum et præfractum ingenium, quod ad vindictam et plagam exardescit facilè, neque spontè ad clementiam et misericordiam traducitur. Atque idè præmisit Deus turbinem, commotionem et ignem, in quibus Deus ipse non erat, et deinde tenuem auram, et sibilantem placidè, et in illâ Deum, quasi in suâ familiari

sede quiescentem. Tonat Deus, fulminat, fulgurat, concutit montes, sed id quodam modo facit invitus, et tactus dolore cordis intrinsecus, quia proprium est illius misereri et parcere; atque idè non inhabitare dicitur in turbine et igne, quia hæc aliquid sonant horribile, et humanis commodis importunum; sed in aurâ tenui, quæ recreat ac reficit laborantem spiritum. Si tamen in igne et turbine suum sibi videtur locasse domicilium; id facit aut nostris provocatus sceleribus, quæ punire vult, aut ut ostendat se nostris ærumnis cruciari quodam modo, et iisdem se quoque laborare incommodis, quibus nos ab aliorum inclementiâ vexamur et urimur. Jactabatur populus à Domino quondam charus et electus ab Ægyptiis, et quasi inter spinas morabatur, et fornacibus urebatur assiduè: atque idè Deus in eodem tempore visus est à Moyse in ardenti et spinosâ plantâ. Erat Job variis tum corporis morbis, tum aliorum conviciis, quasi à vehementi spiritu et turbine jactatus; eodem tempore, ut se illius dolorem familiariter dolere significaret, apparuit in turbine, et ad illum de turbine locutus est, Job cap. 38 et 40. Sic sanè Gregorius lib. 8 Moral. cap. 28: « Si sano atque incolumi loqueretur (Deus), ex tranquillitate dominica locutio facta esse diceretur; sed quia flagellato loquitur, de turbine locutus fuisse describitur. »

Cum ergo Deus in flammis et turbine esse soleat, aut cum punit peccatores, aut cum dolentibus condolet, tamen quia plerumque in aurâ refrigerante ac placidâ commorari asolet, in aurâ tenui esse dicitur, non in igne et turbine. Sicut rex, licet aliquando sit in acie, aliquando in fluctibus, si navigare contingat, tamen habitare dicitur in regiâ domo, quia illa regi stabile ac proprium domicilium est.

Ut igitur ad explicandam postremam hanc sententiam redeamus, commendat Deus Eliæ lenitatem, quam ipse plurimum amat, et in quâ libenter requiescit, si velit Deum ipsum habere sibi familiarem. « Neque enim, ut hoc mil. 6 optimè Macarius, decet servum Dei in hoc tam incomposito statu vivere, sed in omni tranquillitate ac sapientiâ, ut inquit propheta Isai. cap. 66: *Ad quem respiciam, nisi ad mansuetum, et quietum, et trementem sermones meos.* Et temporibus Moysis et Eliæ reperimus, quod cum in apparitionibus, quæ illis obtigerunt, multa ministeria tubarum et virtutum præcessissent dominicam dignitatem, in illis omnibus

« separatim apparuerit adventus Domini in pace, et tranquillitate, et quiete. *Ecce enim, inquit, vox auræ tenuis, et in eâ Dominus.* « Liqueat ergo quod quies Domini sita est in pace et tranquillitate. » Hæc Macarius. Eadem propè Tertullianus lib. de Patientiâ, cap. 15: « Sedet in throno spiritus ejus (id est, Dei) mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est tenera serenitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Elias: nam ubi Deus, ibi et alumna ejus, patientia scilicet. »

Hanc sententiam tenent, ut dixi, interpretum plerique. Theodoretus quæst. 57, ait ostendisse Deum facile se posse momento temporis universum aut vento vehementi, aut igne, aut terræ concussu, aut alio modo, sed maluisse mundum administrare lenitate « Per hoc, inquit, ostendens, quod lenitas, benignitas, et clementia sola est Deo grata: unumquodque autem aliorum attrahit hominum improbitas. » Chrysostomus in hæc re explicandâ multus est, tum homiliâ primâ de Eliâ tom. 1, tum homil. de Petro et Eliâ, à nobis sæpius citatâ. Ubi eleganter, ut solet, atque copiose docet multis modis voluisse Deum Eliæ curare animum efferum et durum, exemplo corvorum, et Sarephthanæ viduæ, quæ in illum contra quam illorum natura, et hujus status angustus exigebat, misericordes et liberales extiterunt: et nunc etiam docet multò clariùs, « dùm ante se præmittit tanquam aliquid alienum, turbine, commotionem et ignem, et in aurâ molli, et placidè sibilanti, quiescens ingreditur. »

Hæc ego ideò probo magis, quia magnis placent auctoribus, sed nihilominùs non tam hic durum Eliæ ingenium reprehendi, aut illi commendari clementiam, quam tradi formam, quæ in corrigendis, aut puniendis divinæ legis transgressoribus servari debeat, nempe ut illa imitetur, quæ maximè sunt in rerum naturâ violenta, ventum nimirum, qui concutit atque subvertit montes, et ignem, qui consumit et dissipat omnia, idque celeritate incredibili, neque suavitatem assumit tenuis et refrigerantis auræ, donec Deum advenire videat, quem antecedunt quasi stratores viarum, et præcursores ad parandum hospitium, ventus, commotio, ignis. Quod videtur indicare Eccles. cap. 48, v. 7, ubi sic de Eliâ: *Qui audis in Sina judicium, et in Horeb judicium defensionis, ubi Græcè κρίματα ἐκδικήσεως, judicium ultionis, quasi dicat: Accepit modum*

quo Deum, aut illius legis contemptum ulcisceretur, sumpto gravi de idololatriæ supplicio. Quod verò hæc sit hujus loci sententia, ideò mihi persuadeo, quia ille idem, qui in aurâ tenuis sibilo venisse dicitur, nihil Eliæ præcipit non severum, nihil quod non oleat turbine, commotionem et ignem. Nam contra illos qui transfugæ à lege idola coluerunt, adversus quos antea acriter et hostiliter dimicaverat, rursus jubetur arma sumere, non minùs quam in priori congressu, cruenta. Jubetur enim, ut tres hostes contra Israelitas idololatrias armet, quorum manibus impium illud hominum genus intereat, Jehu, Hazael et Eliseum, de quibus statim. Neque si Elias jussus esset servare clementiam, et abstinere à ventorum impetu, et flammarum incendio, evocasset ignem è cælo, qui quinquagenarios, et illorum cohortem ad unum extingueret. Neque sanè post hanc admonitionem minùs severum aut efferum videmus Eliam, quam antea fuerat. Adde quod Christus spiritum laudat Eliæ, dùm tantoperè laudat Joannem, quem venisse dicit in spiritu et virtute Eliæ, imò et illum propter morem et instituti similitudinem Eliam appellat, uti nuper dicebamus. Hæc mihi explicatio omnium maximè videtur expedita. Neque parùm huic sententiæ suffragatur, quod illa eadem, quæ à nonnullis in Eliâ reprehenduntur, laudantur ab Ecclesiastico c. 48, cujus institutum est laudare viros gloriosos. In laudibus autem Eliæ numeratur, quod ipse fuerit quasi ignis, et verba sua non aliter funderet, quam si è faucibus flammæ eructaret: hoc enim valet illud: *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Et statim famem immisam laudat, et Baalis sacerdotes occisos, evocatum esse ter ignem de cælo, confragmentam esse regum potentiam, et illa tandem omnia, quæ prophetam possent feritatis arguere.

Hic ad extremum observare lubet, quæ hic narrantur omnia, ut ab spiritu seu vento provenire possunt, prout variè attemperatur ad varia, sic etiam hominum spiritum, eorum præsertim, qui vitam meditantur apostolicam, variè etiam, prout hominum exigit usus et necessitas, attemperari debere. A spiritu, id est, vento, cum se vehementiùs motat, et frequenti se vertigine circumagit, turbo fit; cum terram subit, illam concutit, et saxa interdum aut dirumpit, aut è suis sedibus horribili fragore convellit. Idem ignem excitat in nubibus exagitatis acriter, aut collisis vehe-

menter, ut docuit Aristoteles, lib. 1 Meteor. cap. ultimo. Et in sylvis observatum est à rusticis ignem excudi, cum vi ventorum sylvestrium arborum rami inter se colliduntur. Quod etiam Lucretius docuit cap. 5:

*Exprimitur validis exiritus viribus ignis,
Et micat interdum flammai servidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.*

Sic etiam Virgilius, aut quicumque, est ille qui opus de Ætnâ composuit, et magis ad nostrum institutum accommodatè:

*Ardentesque simul flammæ ac fulmina rumpunt,
Haud aliter, quam cum pronò jacuere sub austro,
Aut aquilone fremunt sylvæ, dant brachia nodo
Implicitæ, et semper junctis incendia ramis.*

Hæc omnia à ventis fieri, cum illorum est flatus vehementior, docuit Ovidius, qui in fabulis interdum occulta philosophiæ sacramenta inclusit. Sic enim lib. 6 Metamorph., ad finem, languentem inducit Boream:

*Apta mihi vis est: hæc tristia nubila pello,
Hæc freta concutio, nodosaque robora verto,
Idem ego cum fratres cælo sum nactus aperto,
(Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor,
Ut mediis nostris concursibus insonet æther,
Exilantque cavis elisi nubibus ignes.*

*Idem ego cum subii convexa foramina terræ,
Suppositique ferox inis mea terga cavernis,
Solicito manes totumque tremoribus orbem.*

Idem etiam ventus interdum remittit vim, aspiratque sedatam, verèque vitalem auram, et qui priùs terrori, idem postea levamento est, et quasi aliquid voluptati et valetudini opportunum, maximè à delicatis et mollibus captari solet.

Huic similis esse debet viri apostolici spiritus, modò sic incitatus et vehemens, ut dirumpat saxa, et ab imâ stirpe robora convellat, modò excitet ignes, exurat vitiorum fibras, et inolit sordes concoquat, ut purum relinquat aurum, et divinæ mensæ non indecorum. Hujus exemplum fuit Paulus, quem modò videas tonantem, fulminantem, concutientem saxorum instar obduratos animos, modò lenientem oratione leni, et quasi nutricem pusillorum ori lac immulgentem evangelicum. Quod ut discipulus Timotheus faceret, verbis gravissimis admonuit, 2ad Timoth. 4. Hæc enim omnia his verbis complexus est: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientiâ et doctrinâ.* Est autem vir ille apostolicus fabro non dissimilis, qui vel ex ligno aut marmore imaginem exculpit, vel ex ære format et excudit. Ille enim, cum

lignum rude est, aut vastum saxum, aut æs informe, securim adhibet, malleum et vectes, ignem et incudem, et sic in materiam arti subjectam, secando, tundendo, et urendo desævit, ut nihil aliud sibi videatur proposuisse, quàm ut lignum diffindat, saxa confringat, ferrum omninò perdat, quia tunc plurimùm invenit in materiâ, quod deterat securis et malleus, aut quod ignis exurat, et informet incus. At cum jam hæc omnia duriter detrita aut informata sunt, cessat malleus et incus, cessant ignis et folles, cessat securis, et mitiori jam manu totum opus politur et absolvitur, et ad nobilem aliquam et speciosam formam adducitur.

VERS. 15. — QUOD CUM AUDISET ELIAS, OPERUIT VULTUM SUUM PALLIO, ET EGRESSUS STETIT IN OSTIO SPELUNCÆ (1). Quod ad historiam spectat, cur hæc Elias fecerit, obscurum non est. Egressus fuit ab speluncâ, sicut acceperat mandatum ab angelo, sed exterritus à vehe-

(1) Ce qu'Elie ayant entendu, il couvrit son visage de son manteau, et étant sorti, il se tint à l'entrée de la caverne, etc. Le profond respect qu'il eut pour la présence de Dieu lui fit imiter Moïse, en se couvrant le visage comme lui, et n'osant pas regarder ce qui se passait. Sur quoi saint Grégoire pape fait cette belle réflexion, que lorsque l'âme est frappée intérieurement par le son spirituel et tout-puissant de la voix de Dieu, elle se trouve comme à l'entrée de sa grotte, sortant, pour le dire ainsi, de son corps, par le grand désir qu'elle a d'en sortir, et n'étant plus touchée d'amour pour sa chair; mais qu'en même-temps qu'elle s'élève ainsi vers Dieu par une plus haute contemplation, elle se doit rabaisser dans la vue de sa propre infirmité, et couvrir en quelque sorte son visage, de peur qu'elle ne soit accablée par une trop grande lumière. « A présent donc, continue ce saint, que nous sommes assurés par la mort, par la résurrection, et l'ascension de notre Sauveur, de la gloire et de la joie éternelle qui nous attend dans le ciel, tenons-nous dans la sainte Eglise, comme à la porte, toujours attentifs à ce divin roi qui nous appelle; fermons nos yeux à tous les objets corruptibles de cette vie périssable, et n'aspirons qu'à la liberté des saints citoyens du ciel. Que si nous sommes encore arrêtés comme par le poids de plusieurs soins temporels, et que nous ne puissions pas sortir tout-à-fait en nous dépouillant entièrement de ce corps mortel, demeurons au moins à l'entrée de notre caverne, c'est-à-dire, de cette chair corruptible, où nous sommes retenus, toujours prêts à en sortir quand il plaira au Sauveur de nous en retirer heureusement par sa grâce. Qui ergo perfectè exire non possumus, saltem in speluncæ nostræ ostio stemus, exiuri quandoque prosperè per gratiam Redemptoris nostri. » (Sacy.)

menti spiritu, qui videbatur commovere montes, et saxa convellere, et ab igne, qui præcedebat suaviter spirantem, et sibilantem auram, continuit se in ostio foraminis, quod solent facere, qui in timore sunt, ut commodiorem habeant ad sua latibula recessum. Et quia satis præcepto factum putabat, cum jam è latebris foras prodisset. Deinde pallium oculis opposuit, operuitque vultum; quod etiam faciunt, qui vident, aut videre se putant aliquid horribile, quod et ipsa docet experientia quotidiana. Ad hæc reverentiæ ejusdem et observantiæ est, ut notavit Abulensis, quæst. 19, faciem operire, quasi indigni videamur intueri faciem ejus cui reverentiam debere magnam intelligimus. Sic Moyses Exod. 3 vocatus à Deo est, qui visus fuerat in ardenti rubo, cum tamen illud à Domino præceptum non esset, vultum operuit, postquam in rubo Deum esse cognovit: *Abcondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.* Ab hoc tanti magistri facto fortassè didicit Elias ante Deum esse cooperiendum vultum, aut id maximè fortassè commovit observantiæ genus, quia id in casu non dissimili videbatur Moysi contigisse. Nam Exod. c. 33, v. 22, faciem illius Dominus sua manu textit, donec transiret: post verò sublatâ manu, ut posteriora videret, facultatem fecit. Ad hujus igitur exemplum Elias videtur operuisse pallio vultum suum.

Gregorius, lib. 5 Moralium cap. 26, id propriæ infirmitatis cognitioni tribuit, quæ cum sibi persuadeat se non posse cognoscere divina, neque tutum esse lippis oculis adversum solem intueri, operit vultum, tegit oculos, et doceri magis vult à Deo, quam curiosius ejus scrutari majestatem. «Tunc, inquit, verum est quòd de Deo cognoscimus, cum plenè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Unde benè illic subditur: *Quod cum audiisset Elias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio spelunçæ.* Post auræ tenuis sibilum vultum suum propheta operuit pallio, quia in ipsâ subtilissimâ contemplatione veritatis, quantâ ignorantia homo contegatur, agnoscit. Vultui namque pallium superinducere est, ne altiora mens quærere audeat, hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, ut nequaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc, quod deprehendere non audeat, reverenter claudere.» Deinde ad hanc explicationem accommodatè exprimit, quare Elias ultra spelunçæ ostium egressus

non fuerit. Ait primò spelunçam esse humanæ corruptionis statum obscurum et cæcum, et ad illius ostium tunc hominem prodire, quando aliquam Dei cognitionem captare incipit. «Quia enim, inquit, progredi perfectè non possumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes, jam aliquid de libertatis aurâ capimus.» Eadem penè omnia à Gregorio repetit Angelomus.

ET ECCE VOX AD EUM, DICENS: QUID HIC AGIS, ELIA? Iterùm angelus Eliam, quid agat, interrogat; et ille idem iterùm ad interrogata respondet. Neque est cur illorum iteratò explicationem adducamus. Tantùm dico Eliam rogatum fuisse secundò, ut ex illius responsione occasione oblatâ solaretur angelus Eliam, et quid ab eo factum vellet, admoneret. (1)

(1) PROPHETAS TUOS OCCIDERUNT GLADIO (quia sese opponerent cultui Baal); DERELICTUS SUM EGO SOLUS (propheta et zelator veræ religionis, qui me valdè eidem oppono), ET QUÆRUNT ANIMAM MEAM, ut me occidant: me ergo occiso nullus supererit propheta, nullus zelator, qui tuum cultum propugnet, et Baalitis sese opponat. Actum ergo est de verâ religione, de tuo cultu, de totâ Synagoga; omnia occupat impia Jezabel; ubique colitur Baal; ubique exundat perfidia et idololatria. Hæc est causa mei doloris et mœroris, meæ fugæ et exilii, ut mori optem potius, quàm vivere, et videre tanta mala gentis meæ et populi Dei. Ita Elias mœrore, irâ et zelo confectus. (Corn. à Lap.)

Je suis demeuré seul, etc. Saint Augustin nous fait remarquer par l'exemple de ce saint prophète, qu'il est dangereux aux plus justes, lorsqu'ils considèrent la multitude des méchants, et la chute de quelques-uns qui passaient pour bons, de faire un secret retour sur eux-mêmes, et de se considérer comme étant seuls attachés à la fidélité que l'on doit à Dieu, et qu'ils doivent craindre de tomber ainsi insensiblement dans un orgueil pire que les désordres qu'ils condamnent dans les autres. *Vide ne peior sit ista superbia, quàm illa nequitia. Noli solum te dicere.* Et il ajoute qu'Elise trouvant comme accablé de chagrin par la vue de ce grand nombre d'impies qui avaient tué les saints prophètes et renversé les sacrés autels, et disant à Dieu qu'il était demeuré seul, il fut rabaisé par cette divine voix, qui lui déclara que le Seigneur s'était réservé sept mille hommes dans Israël qui n'avaient point fléchi le genou devant Baal. «Ainsi, continue ce saint, il n'y a qu'un seul remède contre ces scandales, qui est de n'avoir point de sentiments désavantageux de nos frères. Soyons humblement ce que nous souhaitons que soient tous les autres, et nous ne nous persuadons pas aisément qu'ils soient autres que nous ne sommes. *Humiliter esto quod vis eum esse, et non putabis eum esse quod non es.*»

Saint Grégoire pape confirme la même pensée de saint Augustin, et témoigne, comme lui, que cette déclaration que Dieu faisait à Elie, qu'il s'était réservé sept mille hommes qui

VERS. 15. — VADE, ET REVERTERE IN VIAM TUAM PER DESERTUM IN DAMASCUM, etc. Hæc à metu liberant sollicitum animum prophetæ, cum occidendi dicantur illi, quorum ut effugeret longas et cruentas manus, tam longam intenderat et molestam fugam. Item mœrentem spiritum à dolore levant, quia grave dicitur inferendum bellum divini nominis inimicis, et his qui in Israelitico populo gentilicam fovent religionem. Quotquot enim hi uncti dicuntur, et quasi bellorum duces designati, illos præsertim insectabuntur, et magnis afficient detrimentis, qui à vero Dei cultu ad superstitionem vanam transfugerunt. Jubetur primùm Elias per desertum penè repetitis magnâ ex parte vestigiis, adire Damascum, ut ibi ungat Syriæ regem Hazael, quem acerrimum hostem experientur Israelitæ; deinde Jehu regem Israel, qui familiam Jezabelis et Achab sic insectabitur hostiliter, ut omninò deleat; deinde sui spiritus ac muneris successorem designet, qui quod ab aliis reliquum fuerat ex impio idololatrarum ordine, ipse persequatur et extinguat. Hæc aperta sunt; quis eorum sit sensus, et qui eventus hujus designationis futurus sit, ex his, quæ proximè dicuntur, manifestum fiet.

Illud hic observandum, primùm, cur jussus fuerit Elias ire per desertum Damascum, cum per regionem Israelitidem multò sit brevior et commodior transmissio. De brevitate constat, de commoditate multò magis, cum in illo spatio, quod ad desertum spectat, neque esculentum aliquid, neque poculentum occurrat, ut proximè Elias ipse cum magno via, imò et vitæ fastidio fuerat expertus: sed hic apparet paterna in servum fidelem providentia. Neque enim voluit, ut per Israelitarum terminos, id est, per regiones Achab et Jezabeli subjectas, iter haberet, ne aut ille aliquid ab hostibus pateretur acerbius, aut illum saltem periculi suspicio à profectione retardaret. Et quod ad cibum et potum attinet, satis à Deo fuerat provisum abundanter. Nam panis ille subcinericius, et vas aquæ, quæ data sunt ab angelo, cum sub junipero jaceret, non solùm aluerunt, confir-

n'avaient point fléchi le genou devant Baal, tendait, en lui faisant reconnaître qu'il n'était pas demeuré seul fidèle à Dieu, à lui faire en même temps éviter l'élévation de la vaine gloire qui pouvait naître de cette même singularité qu'il semblait s'attribuer dans le service du Seigneur; Ut dum non solum se remansisse cognosceret, elationis gloriam, quæ et de singularitate surgere poterat, evitare posset. (Sacy.)

mâruntque prophetam per quadraginta dies peregrinationis usque ad montem Horeb, sed per totum tempus, quo in spelunçâ delituit, et quo in deserto fuit, ubi nullum offerebatur naturæ subsidium. Ita putat Abulensis supra, quæst. 8.

Quærendum item an propriè Elias reges et prophetam unxerit, et quo oleo, sacrone, an vulgari et profano. Quidam putant unctos non fuisse reges, sed tantùm ad regna esse destinatos, quæ designatio pro unctione et designatione fuit. Neque enim putant alienos reges aut ungi solitos, aut ungi debere, maximè oleo sacro, cum illud non aptè cadat in profanum caput. Historia Scholastica putat Hazaelem non unctum à quoquam, sed prophetica tantùm voce Syriæ regem designatum; secùs de Jehu, qui licet non ab Eliâ, Eliæ tamen mandato ab aliis unctus est. Idem tenent Dionysius et Rabbanus. Cajetanus incertum esse dicit, an duo illi reges uncti fuerint, an tantùm reges futuri declarati; eò tamen inclinât magis, ut putet omnes fuisse unctos, ut ipsa docet littera. Quod etiam tenet Abulensis quæst. 21 et 22. Et, licet obscurius, affirmare etiam videtur Theodoretus quæst. 58. Et hoc de duobus regibus id mihi longè videtur probabilius, quia id sonat littera, à cujus proprio atque directo sensu, ad improprium et figuratum recedendum non est, nisi cum gravis urget ratio, qualis hic apparet nulla. De Hazaele minus mihi dubium; neque enim aliam ob causam Elias profectus est Damascum, et longioris et inamœnæ viæ molestiam assumpsit. Neque quicquam incommodatè profanum esse caput, et à verâ religione alienum, cum neque necesse fuerit oleum esse sacrum, imò cum omninò vulgare fuerit, atque commune, ut dicemus statim, neque inusitatum fuerit externos etiam reges inaugurari oleo ritu legitimo. Sanè Cyrus, Isai. c. 45, Christus appellatur, id est, unctus, cum esset non Judæorum, sed Persarum rex. Scio hanc putari non propriam, sed figuratam unctionem, quod nobis eo loco visum est; verumtamen non legimus unctionem externis regibus esse negatam, licet illam solis Hebræorum regibus tribuat Augustinus ad illud Psal. 44: *Propterea unxit te Deus.* Sed fateamur illud regibus externis non esse legitimum; at, ut constat, reges ad illud usque tempus per unctionem plerùmque à prophetis designati sunt. Cum ergo hoc notum esset vicinis regibus, neque, ut est verisimile, Hazael ignoraret prophetam